

fe reor, quo Literatores varii Radulphum hunc *Gallum* ejusque scripta cum Radulpho cognomine Nigro *Anglo* Suffolcienfi et ejus scriptis confudere. Ita, ut exemplo recentissimo utar, *Chronicon T. III. Biblioth. Hist. de la France, Paris 1771. p. 376.* Radulpho nostro tributum Angli potius esse videtur, maxime si chronologiam utriusque spectes. Adi in hanc rem *Tb. Tanneri Bibl. Britannico-Hib. p. 548.* Opus Nostri in *Leviticum* lucem primum publicam vidit *Coloniae* impensis *Quentelianis* opera *Euch. Cervicorni M. D. XXXVI. f. moxque in PP. Bibliothecas* transiit, quarum maxima *Lugdunensis* illud T. XVII. exhibet ad p. 47. Autorem literis etiam profanis sic fatis imbutum, sed in confectandis allegoriis nimium fuisse liquet.

LXXV. VII. c. 17

174 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 186. f. probe scriptus et rubricis exornatus ficit *Radulphi Flaicensis* Monachi O. S. B. *Commentariorum in Leviticum Partem I. five Libros X. priores.* Integrum Opus XX. Libb. Cod. LXXIV. et Partem II. five Libros X. posteriores Cod. LXXVI. exhibemus, qui tamen cum praesenti nec forma, nec scriptura cohaerent. Prologi miniatus titulus est: *Incipit prologus in tractatum super leviticum.* Neque nomen Autoris proditur, nisi in *nota* Sec. XV. praevia pro *Lectore mensae,*

in qua *Rudolfus super leviticum* audit. Initium Prologi est: *Cum inter socios aliquando sermo de iudeorum contentionibus haberetur &c.* Illud singulare, quod et hic, et in singulorum Librorum principiis pro literae initialis florulentae longitudine lineae rubrae nigraeque alternent. Prologum *Elenchus* Capitum omnium XX. Libb. excipit, quem breve aliud *Proemium* sequitur hoc exordio: *Tercius in Moyse libris leviticus appellatur &c.* et tum denique minio: *Incipit tractatus super Leviticum. De holocausto bouis. Capitulum primum. Pars prima. Vocavit autem Dominus moysen &c.* Finis L. X. *qui dedit in mari viam. et abscondita produxit in lucem. Explicit liber decimus et prima pars tractatus super leviticum.* Vide, quae de Autore et Operis editionibus dicta sunt ad *Codd. supracitados.* Nostro adhaeret fabella superstitiosa de *tribus bonis Fratris* Christo occurrentibus et ab eo edoctis vulnera sanare oleo olivae ex monte oliveti et lana ovis nouiter tonsa, adhibita formula sequente: *Sicut longinus hebreus lanceam fixit in latus domini nostri ihesu christi, et non diu sanguinauit non tumuit non putruit non rancclavit non ardorem tempestatis habuit ita plaga ista quam carmino non diu sanguinet non tumeat non putreat non ranclet non ardorem tempestatis habeat in nomine patris &c.* Carminare hic pro *Incantare* positum notius est; sed *Ranclare* diminutivum aut frequentativum a

Rancere videtur, quod Lexicographis barbaris etiam *Foetere* significabat.

LXXVI.

- 66 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 209. f. per duas columnas bene scriptus et miniatus continet *Radulphi Monachi Flaiensis Commentariorum in Leviticum Libros X. posteriores*. Exemplum Opus integrum complectens jam Cod. LXXIV. dedimus. Praesentis fol. 1. p. 2. *Incipiunt capitula libri undecimi*. Consequuntur etiam reliquorum Librorum Capita. Ad illorum calcem legitur: *Omne hoc opus XX. uoluminibus consummantur. Incipit liber XI^{us}. De viro qui patitur fluxum seminis. Minus eruditus et negligentius intuentibus dum superficie scripture huius contenti sunt &c.* Finis Libri XX. *Hec sunt precepta que mandauit dominus moysi ad filios israel in monte synay.* Succedit fol. 204. p. 2. *Homiliane dicam in laudem Iohannis Evangelistae, an Exordium Commentarii* cuiusdam in ejus *Evangelium*, cujus Autorem incassum per plurimorum PP. Opera venatus sum. Sequioris aevi partus videtur, Scholasticorumque jam formulis tinctus. Initium est: *Vox spiritualis aquile auditum pulsat ecclesie. exterior sensus transeuntem accipiat sonitum. interior animus manentem penetret intellectum. Vox altiuidi uolatilis. non aera corporeum. uel ethera. uel totius sensibilis mundi ambitum super uolitantis. sed om-*

nem theoricam ultra omnia que sunt. et que non sunt. citiuolis intime Theologie pennis. clarissime superque contemplationis. obtutibus transcendentis &c. Graeca adtigisse autorem cum ex variis aliis, tum ex hoc loco patet: *In grecorum exemplaribus aytos scribitur. id est hic. et potest referri ad utrumque. ad uerbum uidelicet et deum. Hec quippe duo nomina. theos. et logos. apud grecos masculini generis sunt.* Per decursum *Dionysius Areopagita* citatur, disputaturque obiter contra *Manichaeos* et *Arianos*. Finis est: *quum ipse est fons et plenitudo gratiarum. ueritas symbolorum legalium. finis prophetarum uisionum. Cui gloria cum patre et spiritu sancto per omnia secula seculorum Amen.* Fol. ult. p. 2. sequentes Notae historicae manu vetusta, et magnam partem eadem, quae reliqua Codicis scripsit, adiectae sunt:

Anno domini M^o. CC^o. X^o CI^o. id. Julij ☉ Rudolfus rex rom.
M^o. C^o. XC^o. V^o. Hainricus imperator apuliam subegit.
M^o. C^o. XC^o. VI^o. Leupoldus dux senior obiit. (*Pulcher*)
M^o. C^o. XC^o. III^o. Hainricus imperator in Apulia mortuus est.
M^o. CC^o. I^o. Albertus archiepiscopus salzburgensis obiit.
M^o. CC^o. VIII^o. phillippus rex occiditur.
M^o. C^o. XXX^o. Leupoldus dux Austriae et Styrie in Apulia obiit. (*Gloriosus*)

An-